



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Sagittarius?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Amor, quid cupiat, scit, quid sapiat, non scit.
Et: Quid deceat, non videt ullus amans.

Unde Alciatus in emblematis ipsum exhibet ab apibus appetitum, ad finem Veneris confugientem: quod voluptatem sequatur dolor, rīsum lacrymæ, gaudia luctus.

IV. (d) *Alatus* est: nihil amore volucius, nihil levius, & mutabilis: cras oderit, quem amat hodie: quem manè deperibat, averfabitur vespere: quid dico, vespere? Citiùs hoc fecit Amnon, Davide genitus: odio quippe furens, cubiculò expulit, quam amore ardens paulò antè pellexerat. 2. Reg. 13. Vel etiam, quod amor amanti (uti timor) alas addat, expedito ad omnia.

V. (e) *Arcum habet & sagittas*, quia ferit eminus. Faces quoque gerit; nam ardore presentes accendit, absentes desiderio vulnerat. Exemplum Dido, Carthaginis regina, cui Cupido occultum inspiravit ignem, sefellitque veneno. Primus aditus per oculos:
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.

Post oculos, in pectus, hinc in gremium illabatur. De hoc Poëta.

Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fovet inscia Dido,
Insideat quantus miseræ deus.

Utique miseræ. Nam quid sequitur?

Est mollis flamma medallas
Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjectâ cerva sagittâ,
Quam procùl incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius. Illa fugâ silvas, saltusque peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Nimirum obstandum principiis. In hac mora, si uspiam alibi, summum est periculum.

Qui blandiendo dulce nutrit malum,
Serò recusat ferre, quod subiitjugum. Senec. in Hippolyto.

VI. (f) Alciatus in Emblem. proponit Cupidinem permutantem cum morte tela: quæ dum uno in hospitio fortè commorantes, temerè de nocte sumerent, & Mors aurea Cupidinis spicula, hic Mortis ossea corriperet:

(d) Cur alatus? (e) Cur sagittarius? (f) Cupidinis & Mortis spicula invertit.